



DISPUTATIO JURIDICA

427.

DE
DEFENSIONE

NECESSARIA,

QUAM

CHRISTO DUCE

1623, 7

PRÆSIDE

Viro Amplissimo ac Consultissimo,

DN. GEORGIO DAVIDE LOCA-
MERO, J.U.D. INQUE CELEBRI ARGEN-

toratensium Academia P. P. Facultatis Juridicæ

p. t. Decano spectabili, Præceptore & Fautore

suo æternùm colendo:

Publica disquisitioni submittit

in Auditorio Ictorum.

WOLFFGANGUS LEONHARDUS WELSERUS

Augustâ-Vindelicus.

Mense Majo.



ARGENTORATI,
Typis HOLLANDI FINDLERI,

Anno M. DC. XXIII.



NOBILISSIMIS,
AMPLITUDE, PRUDEN-
TIA, ET AUTHORITY

eminetissimis Viris,

DN. JOHANNI ABRAHAMO Schinger von Balz-
heim Ordinis Senatorii inclytæ Ulmenfis Reip.
Assessori gravissimo, suo è Sacro Baptismate
susceptor venerando.

DN. GUILHELMO Besserer Seniori.

Dn. Cognatis Fautoribus &
Patronis ætatem suspicien-
dis, colendis, amandis.

Has Juris primitias in gratiã
animi & observantiæ
Symbolum
Offert.

Auth. & Resp.

Anno M. DC. XXXIII.



Σὺν Θεῷ.

PROOEMIUM.

Nter omnes leges, quas natura generi mortalium dedit, non minima hæc est, quæ nos nostraque defendere ac tueri docet: Defensio enim, teste Francisc. Guicciard. hist. lib. 10. est ex lege naturæ, cunctis mortalibus communis, Summi DEI voluntate gentiumque consensu comprobata; unà cum mundo orta, desitura: cui neque civiles neque pontificiæ leges. hominum placito nixæ, & chartis exarata derogare possunt. Accessit verò ob summam propulsandæ vis necessitatem, hominumque frequentem malitiam & injuriam ex Jure nostro modus quidam, qui moderamen verum & licitum nobis præscribit, quò usque se defendere liceat, & quomodo malorum vim & injuriam depellere possimus. De qua necessaria planèque utili materiâ operæ me pretium facturum existimavi, si pauca quædam pro ingenii viribus conscriberem, eaq; publicæ disquisitioni, divinâ favente & auxiliante gratiâ committerem: quod ipsum bono cum Deo jam facere aggredior.

I.

Defensio necessaria ^a est potestas ^b vim & offensivam injustam ^c depellendi.

^a) Vocabuli defensionis vel defensoris varia est in Jure significatio: defensor accipitur quandoque pro tutore vel curatore. l. i. ff. qui pet. tut. quandoque accipitur pro eo, qui alium in judicio

A 2

defendit

defendit & tuetur l. minor. §1. cum duab. seq. ff. de procur. & defens. interdum pro defensione sui corporis, qui armis se defendit: in qua significatione nos hic vocabulum defensionis accipimus. Vocatur autem hæc ipsa etiam defensio moderamen inculpatæ tutelæ. l. 1. C. unde vi. idque partim ob formam, quam moderamen illud constituit: partim quod talis defensio sit sine defensoris culpa, sed ob culpam aggressoris. l. 3. C. ad L. Cornel. de Sicar. l. 15. in pr. ff. ad l. Corn. de Sicar. Nostri appellare consueverunt Mordwehr. Constit. Carol. Criminal. artic. 140. vel getringter Todschtag. Gail. 2. observ. 110. n. 9.

b) Et quidem privata, omni Jure quibusvis concessa: vel privata autoritate & extrajudiciali. Cum aliàs nullus sibi ipsi permittere debeat ultionem, sed potius judicialem potestatem adire teneatur. l. 14. C. de Judic. l. 13. §. 3. ff. de usufr. Constit. 2. feud. 53. de pac. ten. int. subd. & jur. fir. Wesenbec. in parat. tit. de I. & I. n. 15. Diversa verò ratio quò ad sui ipsius corporis tutelam, præsertim si periculum est in mora, & necessitas postulat, tunc enim recedendum est à communibus Juris regulis. l. 5. ff. de oper. novinuntiat. §. 12. l. 6. §. 9. ff. de injust. rupt. & irr. fact. test. l. 1. C. quand. lic. unic. fin. jud. se vind. Et defensionis favor ad eò se extendit, ut liceat cuilibet aggressorem impunè occidere. l. 4. C. ad l. Cornel. de Sicar. Qui enim se non defendit, nec obstitit si potest, injuriæ, tam est in vitio quàm si parentes aut patriam aut socios deserat. Cic. lib. 1. offic. c) l. 5. pr. ff. ad L. Aquil. l. 2. 3. 4. C. de Sicar. eoque exprimitur defensionis objectum seu materia, quæ est tam præsens quàm imminens vis & injuria: oportet enim ejusmodi periculum ingruere & imminere, sic ut evitari aliter commodè nequeat. l. 1. 2. C. ad L. Cornel. de Sicar. l. 4. §. 1. 45. §. 4. ad L. Aquil. Wesenbec. in Comment. in lib. 3. C. t. 27. n. 7. Propulsatio namque requirit præcedentem offensionem. Et ubi nulla est offensio, nulla quoque potest esse defensio, hæc enim ab illa pendet. Dn. Obrecht. disp. 3. th. §. 4. Cæterùm rectè additur injustam, non enim contra quamvis offensionem se defendere licet, sed eam tantum, quæ est injusta, & injustè alicui infertur.

I I.

Dividi potest defensio illa, ratione objecti, in personalem & realem: personalis^a est quando quis personam ab injuriosa vi atque offensione instante vel jam ingruente tuetur:

re tuetur: Realis verò quando quis res^b bonaque sua suorumque contra vim & injuriam^c defendit.

a) Nemo corpus suum exponere debet in tantum periculum, unde damnum irrecoverabile oritur: & tale periculum, qui à se repellit, omni culpâ vacat. *l. 1. §. 4. ff. de Sicar.* & qui vim ac injuriam propulsat, jure id fecisse dicitur. *l. 3. ff. de I. & I. l. 45. l. 52. ff. ad L. Aquil.* Quod jus valet in eâ etiam quæstione, quâ quæritur: An periculum attentatæ pudicitia^e jure ac sine omni delicti culpâ repelli possit; si alio modo non licet, nisi cade & morte ejus qui stuprum inferre tentat: Id quod affirmamus ducti argum. *l. 1. §. 4. ff. de Sicar. l. 8. §. quod si dederit. ff. quod met. caus.* quippe sicut vita ita & castitas & pudicitia semel amissa ac perdita irrecoverabilis est. *l. un. pr. C. de rapt. virg.* Et Ovid.

— Nulla reperabilis arte est

Læsa pudicitia —

Quam & vitæ ipsi in filia anteposuisse Verginium testatur. *l. 2. §. 24. ff. de orig. Jur.* Et quid homini salvum esse potest amissâ vi aut ereptâ pudicitia. *Liv. lib. 1. dec. 1.*

b) Id est pecuniam: vocabulo autem pecuniæ denotamus eas res omnes, quæ pretio pecuniæ æstimantur, venduntur, ac emuntur: omnium enim rer. æstimatio nummo ponderatur. *Arist. lib. 4. Eth. c. 1.* & pecuniæ appellatione omnia contineri ait Imper. in *l. pen. §. 2. C. de Constit. pec.* Ex facultatibus vita sustentatur, aded etiam, ut ipsa bona dicantur vita hominis: *Arist. loc. cit.* Hinc metus amissionis omnium bonorum æquiparatur morti. *not Barthol. in l. si ob turpem. 8. n. 6. ff. de cond. ob turp. caus. Georg. Obrecht. tract. de nec. def. c. 3. n. 12. 13.* Referimus autem ad rer. defensionem etiam famæ & existimationis defensionem, quia hæc quoque est res aliqua, in mancipio quasi & dominio nostro existens: de quibus infra.

c) Pro aliorum salute defensionem suscipere an ex bono & æquo fiat, in ambiguo multi relinquunt, innuentes, leges saltem propriam cujusque salutem defendendam admittere, nec legum illarum sensum alio trahendum esse. Nos verò cum haud obscuras videamus in jure ejus assertiones, nec id ipsum asserere erubescimus. *l. 1. §. item ff. de Sicar.* ubi expressè dicitur, cum qui stuprum sibi vel (quod ostetur) suis inferentem occidit, dimittendum esse: Item *l. 8. §. fin. ff. quod met. caus. Constit. Car. crim. 150. artic. Vasq. 1. Contr. 19. n. §. 6.*

Bocer. de bello & duell. lib. 2. c. 10. n. 2. & seqq. Treutl. vol. 1. disp. 1. th. 4. Unde & D. Ambrosius dicit, eum qui non repellit à socio injuriam, si potest tam esse in vitio, quam illum qui facit. Et Senec. non solum non nocebis, inquit, sed etiam nocentes prohibebis. *Gerhard. Exerc. Justin. dec. ult. q. 6. Arum. disp. 1. in π. q. 4.*

I I I.

Causa efficiens duplex est: alia remota, alia propinqua, remota statuitur Jus gentium^a propinqua verò est tum homo,^b qui vim & injuriam à se depellit, tum instrumentum^c quo depulsio fit.

a) *l. 1. in fin. ff. de I. & I. ubi primùm definitur Jus gentium: & postea in quatuor sequentibus legibus per exempla & inter alia etiã per hoc nostrũ declaratur. Et firmari potest hac ratione, quia omnes gentes perãque hoc observant, ut arma armis vim vi repellant ac propulsent. Nos autem defensionem istam non solum Juris gentium sed & divini, naturalis, civilis & canonici esse asserimus. De divino enim testatur. *Matth. 22. v. 39. Levit. 19. v. 18 Marc. 12. v. 31. De naturali. l. 1. s. 27. ff. de vi & vi arm. l. 1. s. 11. ff. si quadr. paup. fecis. dic. De Civili. l. 1. & seq. C. ad L. Cornel. de Sicar. De Canonico deniq; significasti 18. de homicid. c. si verò. 3. de sentent. ex commun. de his etiã Schneidevv. lib. 1. Inst. tit. 2. n. 11. & seq. Hillig. in Comment. Donell. lib. 1. c. 7. lit. G. & lib. 17. c. 2. lit. D. Arum. disp. in π. 1. th. 1. Treutl. vel. 1. disp. 1. th. 4. Wefenbec. in Comment. ad lib. 3. C. t. 27.**

b) Agens & movens, qui vim instrumento aliquo propulsat: ab hoc enim oritur principium motus. *Dn. Obrech. d. 1. c. 5. n. 8.* Et quidem omnis homo sine ullo vel sexus vel atatis, vel conditionis ac ordinis discrimine, quod satis demonstrat. *l. 3. de Iustit. & Jur. posita particula Quisque: Verbum enim hoc Quis tam masculos quam foeminas complectitur. l. 1. ff. de V. S. l. 29. ff. de hered. instit. idque in causis & decisionibus etiam pœnalibus: ut annotat Gædd. ad l. 1. de V. S. ax. 3. n. 53. l. ait Divus ff. de Jur. Fisc. Sine Atatis & conditionis discrimine dixi, quod & infans, puer, adolescens, vir, senex, studiosus, Doctor, Apostolus, Pœsbyter, & alii quicunque vim imminentem justè & rectè propulsent. Idque adeò verum est, ut pleriq; velint, Sacerdotem in templo ex insidiis petitem, posse impunè aggressorem occidere, & sacra antea incepta postea perficere. *Gail. lib. 1. de**

P. P. c. 8.

P. P. c. 8. lib. 2. obs 110. Porro etiam bannitis vim vi repellere licet, defensio enim cum sit Juris naturalis & gentium, illis minimè denegari poterit. *not. Bald. & Alex. in l. 1. & Bartolus in l. ex facto 17. ff. ad SC. Trebell.* Civiles enim leges Jus naturæ mutare non possunt: Secus autè si statutū expresse quoq; occisionē permittat, quia tunc bannito: omnis adempta defensio: quibuscunq; etiam verbis illud conceptum fuerit, & sive licitè sive impunè bannitum occidi posse dicat: plura de his vide in *Colleg. criminal. Petri Theodorici disp. ult. th. 4. & Dn. Obrech. cit. tr. c. 5. n. 10. II.*

c) Quæ causà à movente pendet; ut si quis ad sui defensionem gladium, pugionem, bombardam, hastam vel aliud quodcunque instrumentum aptum adhibeat: quæ omnia sub vocabulo generali armorum comprehenduntur. Et hæc appellatio non tantum gladios, sed fustes, lapides, ligna denotat: Arma, inquit *Varros. lib. de ling. lat.* ab arcendo esse, quod his arceamus hostem: Inde *Lucretius,*

Arma antiqua, manus, ungues, dentèsque fuerunt.

Tholos in Syntag. Jur. Univ. par. 3. lib. 36. c. 26. de vi offens. Apparet autem eorū opinionem erroneam & falsam esse, quam probare conantur *ex c. 18. significasti de homicid. voluntar. vel cas.* quod defensio debeat fieri paribus armis. Nihil enim refert quali acunq; arma adhibeantur: quia necessitas quodvis obvium subministrat: sive sit arcus, vel lancea, vel gladius, vel saxum, vel lignum &c. *Dn. Obrecht. in d. t. c. 5. l. 3. ff. de I. & I. & not. Cujac. ad hanc leg. Arum. disp. π. I. th. 2. Hillig. in Comment. ad Donell. lib. 17. c. 2. in not. sub lit. L. Wesenbec. ad lib. 3. C. t. 27.*

I V.

Subjectum defensionis sunt omnes homines^a quī nobis vim atque injuriam faciunt; contra quos & defendere nos possumus; idque sine personarum respectu.^b

a) Nulla expressa reperitur distinctio personarum, sed leges simpliciter omnibus contra quosvis hanc potestatem tribuunt. Indeque generalis lex generaliter accipienda, & ubi illa non distinguit, nec nostrum esse distinguere videri posset. *l. 8. ff. de Public. in rem. act. l. 1. §. generaliter ff. de Leg. prast. l. 3. ff. d. I. & I. & l. 45. §. qui cum ff. ad L. Aquil. l. l. C. unde vi.* Et moti sunt his ipsis nonnulli, ut & contra Papam & Imperatorem defensionem ejusmodi concederent. Quos tamen malè docuisse dicimus cum *Dn. Obrecht. d. t. c. 6. & eorum sententiam*

sententiam duram & iniquam pronuntiamus. Si enim in aliis quibuscunq; personis moderamen inculpatae tutelae est servandum, certe multo magis in summis hisce personis servari debet. Sic autem statuimus, quod regulariter omnibus contra omnes concessa sit defensio: Et sub regula ista viros etiam à vi atq; injuria foeminarum sese defendentes comprehendimus. Licet enim raro contingat, usu tamen compertum est, nonnunquam eò redactam rem fuisse, ut mulieres furibundae & formidabilioribus armis instructae, viros humaniores & armis impares in ejusmodi necessitates adigerent. *Constit. Car. crim. art. 144.* Non etiam excipimus ab ista regula maritum & uxorem: sed & huic contra illum savientem, tutelam vitae ac corporis concedimus: quia maritus in uxorem vitae potestatem non habet. Interim tamen levis & moderata uxoris coërcitio viro non denegatur. Quia enim divino & humano Jure constitutum est, ut uxor maritum reveratur eique obediat: *Genes. 3. 1. Pet. 3. l. un. §. cum autem C. de rei uxor. act. §. l. 14. ff. solut. matrim.* Sanè eodem quoque jure constitutum intelligitur, ut maritus uxorem castigare & corrigere possit, si hanc ei reverentiam & obedientiam detrectet. *Dn. Obrecht. d. t. c. 6. n. 52.* Præterea & sub eadem regula mediatorem quoq; comprehendimus: si non aliter se ab aggressore liberare quis possit, nisi prius hic mediator sit occisus. Tandem & regulam istam extendimus, ita ut contra bestias quoque & bruta animalia impetum in nos facientia defensio & occisio sit licita: item contra ebrios, furiosos, noctambulos, qui etsi vim & injuriam inferendi propositum non habeant: vitae tamen periculum præsentissimum alteri, cui defensionem omnia jura concedunt, afferre possunt. *l. 3. ff. de Just. & Jur.*

b) Commodè tamen hic videri potest de nonnullis, contra quos vel planè non vel non facilè defensio ista concedenda videtur: veluti sunt Parentes, Præceptores, Magistratus & ipsius ministri. Et primò quò ad Parentes, non possunt liberi illis gravius oburgantibus ac verberantibus resistere; quia illi jure suo utuntur. *l. 3. C. de patr. potest. l. 11. ff. de liber. & posth.* Nostris tamen temporibus non talem licentiam parentes habeant, qualem olim habuisse traduntur. *Liv lib. 2. in pr. & P. Greg. Tholos. in Syntagm. Jur. Univers. lib. 11. c. 5. & lib. 36. c. 24.* sed ejusmodi parentum in liberos savitiam prohibent leges tum Divinae. *Exod. 20. v. 13. Prov. 19. v. 18.* tum naturales: quia partes patris sunt, & nemo unquam suam carnem odio habuit: *Ephes. 5. v. 29.* &

431

& per filii corpus pater magis quam filius periclitatur *S. ult. Instit. de noxal. act.* tùm denique civiles *l. 5. ff. ad l. Pomp. de parricid.* Quid igitur si pater filio vim atque injuriam inferat, num filius sese justè opponet? Quanquam communis hoc opinio statuatur, nos tamen vix ullum casum accidere posse credimus, quo liberis adversus parentes concedi queat, ut illis resistere & vim vi, repellere possint: Sed fugâ sibi potius consulant, vel si alio modo non possunt cædem sibi inferre patiantur, vindictam Deo committentes. Quam sententiam approbat *Dn. Obrecht. cit. tr. c. 6.* Cæterum nec Præceptoribus & Dominis licet resistere, si moderatam castigationem adhibent: Secus est si modum exceßerint & si Magister in disciplina vulneraverit vel occiderit, *Lege Aquil & l. Corn. de Sicar. tenebitur l. 5. S. ult. ff. ad l. Aquil.* Præceptoris enim nimia sævitia culpæ adsignatur. *l. 6. ff. c. t. Wesenb. in d. C. ad lib. 3. l. 27. n. 34.* Deinde Magistratui resistere non licet, quia minister Dei est, cui potestati à Deo ordinatæ omnino obtemperandum. *Rom. 13. & parere illi necesse est, l. 167. ff. de R. I. & matris loco esse dicitur. Nov. 2. c. 8.* Quod si verò vim & injuriam inferat, melius est ut subditus vim illam patiat, non etiam vi oppositâ eam repellat: Magistratum verò eâ de causâ judicio conveniat *l. 32. ff. de Injur. & l. 3. §. sed vim. ff. quod met. caus.* Cum & aliâs quando quis venire potest per directum, non debeat progredi per indirectum, nec extraordinariæ viæ locus relinquendus, quando ordinaria superest. Observanda quoque distinctio quam facit *Dn. Obrecht. in d. t. c. 6. n. 7.* Judex consideratur vel ut privatus, vel ut persona publica, si ut privatus procedit, impunè ei resistitur: & si quis eum defensionis suæ causâ occidat, à pœnâ homicidii excusatur: secus si ex officio Magistratus processerit adde *Colleg. crim. Pet. Theodorici disp. ult. th. 4. Wesenbec. in cit. Comment. ad C. lib. 3. t. 27.* Denique contra Magistratus ministros nemo se opponere audeat, quia hi sententiam & voluntatem superiorum suorum exequi tenentur: Cautè tamen & illi agant ne officii limites excedant datæve operâ & dolo malo alios percutiant vel vulnerent, vel interficiant: ut sæpè ab hoc genere hominum fieri solet. Certè ejusmodi facta prætextu officii non excusanda, sed gravissimè vindicanda sunt. teste *Obrecht. d. t. c. 6. add Fachin. lib. 9. q. 74.*

V.

Verfatur autem defensio potissimum circa personas,

B

partim



partim propriam cuiusque^a partim aliorum: ^b Et circa
res, easque tum corporales^c tum incorporales.^d

a) Charitas siquidem à se ipsa incipit, & defensor propriæ sa-
lutis in nullo peccasse videtur *l. 3. C. ad l. Corn. de Sic. l. 3. ff. l. & l.*

b) Qui sunt vel necessarii vel minus: necessariae autem perso-
nae sunt Parentes, filii, conjuges, consanguinei, affines, domestici,
quos omnes si necessitas postulat propter vinculum charitatis & vitæ
confortium defendere ut tueri debemus; modò ne id simpliciter &
quocunque modo fiat. Et si enim DD. aliqui asserant, Patrem aggress-
forem filii impunè occidere posse; moti his inter alias rationibus, quia
teste Platone unumquodque animal pro suis foetibus acriter dimicat,
& affectus paternus omnes alios vincit. *l. 8. in fin. ff. q. m. e. & l. ult.
pr. C. de Curat. furios.* Attamen quicquid illi dicant vel scribant, nihil
tamen obtinere possunt aut debent, quia leges istæ de re conceptæ de
suâ cuiusque propriâ non de alterius defensione loquuntur. *l. 3. ff. de
l. & l. l. 4. in princ. l. seq. l. 45. §. qui cum ff. ad l. Aquil. l. 3. & 4. C. ad
l. Cornel. de Sicar.* Distinguendum ergò hîc erit inter defensionem,
quæ fit sine læsione vitæ; & defensionem cum morte conjunctam,
prior conceditur: *l. 3. & 12. ff. de lib. caus.* posterior autem non æquè:
nisi specialiter lex tale quid permittat: (quod ipsum tamen ad conse-
quentiâ non est trahendum) veluti si quis qui stuprû sibi vel suis infe-
rentè occiderit: ejusmodi enim occisor interdû impunè est dimitten-
dus: cum presertim nò ad violatâ tantâ personâ sed ad totâ familiâ in-
juria ejusmodi spectet. Nec filius, patris aggressorem jure occidet: nec
marit⁹ uxoris, vel contrâ &c. Quod si tamen fortè fortunâ contingat,
ut pater filii aggressorè, vel filius aggressorè patris occiderit: nò pœnâ
ordinariâ sed extraordinariâ & mitiori, interdum mitissimâ plecten-
dus quis erit: quatenus videl, non tam habuit animum occidendi,
quàm alterum defendendi. *fac. l. 1. §. Divus ff. ad Cornel. de Sicar.* idq;
tum propter necessarias, tum extraneas personas, quarum defensio
intercedendo suscepta est locû habere, patet ex *Constit. Car. V. P. S.
G. D. artic. 142. & artic. 150. & Gail lib. 2. obs. 110. n. 19. vide etiam
Obrecht. d. t. c. 7.* Minus necessariae sunt extranei & peregrini, quos
etiam ob præceptum Christi æquè ac nos ipsos diligere debemus
Matth. 22. v. 39. 40. Marc. 12. v. 31. & qui alterum non defendit, cul-
pâ non vacat, dum sine causâ alterum deserit. *l. 109. & l. 50. ff. de
R. J.*

b) Quales

b) Quales sunt quæcunque in supellectili existunt; item fundus, ager, &c. item pecunia, quæ sanguis ac secunda hominis vita vocatur. *gloss. & text. in l. advocati 14. in verbo vitam: ubi not. Bald. C. de advoc. divers. Jud.* Alios autem occidere propter res, sive sint viles, sive pretiosæ, Dd. opinio prohibet; & rectè; quia inter hominem & res nulla est comparatio; nec vita hominis ullo pretio æstimari potest: nec ullæ leges homicidium ob solam defensionem rerum permittunt. *l. 9. ff. ad L. Corn. de Sic. c. 2. suscepimus. de homicid. l. sancimus C. de SS. Eccles. l. 1. C. unde vi. Obrecht. c. 8. d. t. Consule Wesenbec. Com. in C. lib. 3. t. 27. n. 29. de his etiam supra.*

c) Ut sunt bona fama & existimatio, cujus quis semper rationem habere debet. *l. Quintus 48. in pr. ff. mand. etiam Augustinus ait: Crudelis est qui confidens conscientia famam negligit: Et melius est mori quàm vili pendere Bald. Conf. 212. col. 1. lib. 4.* Neque tamen propterea cædes aliqua famæ defendendæ causâ conceditur. Quia dispar est ratio in vitæ & famæ defensione: *l. 5. §. 1. ff. de procur. l. 38. §. pen. ff. ad L. Jul. de adult.* cum alia remedia in promptu sint quibus suam famam integram & salvam quis conservare ac tueri potest; per retorsionem puta aut per actionem injuriarum. Et si quidè plebejus plebejum injuriâ affecerit, retorsione verborum existimatio satis defendetur: quia par inter illos conditio est, & æqualitas personarum. Quod si autem plebejus nobilem quendam virum vel dignitate aliqua eminentem convitiis petierit, non idè statim gladius stringendus erit, sed potius talium abjectorum hominum convitia more sapientum negligenda, & imitandum exemplum Catonis dicentis: *Impar mihi tecum certamen est, tu suetus moribus digna tuis audire probra, eadem in alium gestis fundere: mihi verò malè audire insolitum est, malè autem dicere ingratum: vel remedia ex Jure desumpta adhibenda, idque ferè per actionem injuriarum, qua agatur vel ad estimationem injuriæ §. 7. Instit. de Injur. vel ad παλωδιάν Injuriarum estimatione 21. ff. de Injuriis Obrecht. c. 9. d. t.*

V I.

Forma defensionis debet consistere in moderamine inculpatae tutelæ^a ut in continenti^b nec propter vindictam ullam fiat^c.

a) *Imper. Dioclet. & Maximian. in l. 1. C. unde vi. Schneidev.*

Comment. in Instit. lib. 1. tit. 2. de I. N. G. & C. Gail. de PP. lib. 1. c. 16.
Hilliger in Comment. Donell. lib. 17. c. 2. Hænon. disp. Jurid. 1. th. 12.

b) Dum adhuc vis infertur: Nam si postea demum quis se defendere velit, magis id vindictâ fecisse dicitur; sed in ipso momento aggressoris tutela consistat. *l. si ex plagis § 2. s. tabernarius ff. ad L. Aquil.*
Idem Hænon. disp. 1. th. 12.

c) Cessante enim offensione cessat & defensio: & vindicta legibus est prohibita. *l. 45. ff. ad L. Aquil. l. 1. C. unde vi.* Quod si tamen vis rebus infratur, etiam post biduum vel triduum depelli ea poterit: nec qui eam sic repellit pro vindice, sed suarum rerum repetitore habendus erit. *Dn. Obrecht. c. 10. n. 4. & 22.*

V I I.

Æqualitas armorum non requiritur^a nec provocatus primum expectare ictum^b nec protinùs fugere tenetur^c.

a) Hoc natura ipsa dicitur, ut omni armorum genere, quicquid in promptu erit, se quis defendat. *Dn. Obrecht. 1r. cit. c. 11. Arum. disp. in π. 1. q. 2.*

b) *Arg. l. 3. ff. de I. & I. & l. 5. pr. ff. ad L. Aquil. Dn. Gothof. ad l. 3. 4. C. ad l. Cornel. de Sicar. P. S. G. Carol. V. artic. 49.* Es ist niemand mit seiner gegenwehr bis er geschlagen wird/zu warten schuldig. Melius est enim prævenire quàm præveniri: & intacta jura servare, quàm post vulneratam causam remedium quærere, *l. fin. C. in quib. caus. restit. non est nec. Hænon. disp. in π. 1. th. 12.*

c) §. 2. *Injuria, ibi: si aliter periculum effugere non potest. Instit. tit. ad L. Aquil. l. 45. ff. ad l. Aquil. l. 6. s. qui in. ff. de remilit. Constit. Carol. crim. artic. 140.* Und der benöthigte kan süglich oder ohne gefährtzkeit vnd verlezung seines lebens nicht entweichen/ der mag sein leib vnd leben ohn alle straff durch eine rechte gegenwehr retten. *Oleman. disp. 34. n. 25. & seqq. in obi. & resol. Arum. disp. π. 1. th. 2. Hænon. disp. in π. 1. th. 13.* Secus tamen est si beneficio fugæ haud dubiè salutem quis quærere potest: Neque enim fuga omnis improbanda vel turpis est; exemplo Christi, qui cum quæreretur ab Herode ad interficiendum, aufugit in Ægyptum & cum Judæi ipsum lapidibus obruere vellent, secessit ex templo. *Joh. 8. v. ult. Matth. 2. v. 14.*

Offensio

Offensio nonnulla consistit etiam in provocatione
^a sed licet ea fiat, tamen non debet apparere provocatus,
^b nisi in eo salus utilitatis publicæ verferur. ^c

a) E. g. Si Sempronius Titium evocaverit: *Bistu ein redlicher
 gsell vnd kein schelm/ so kom zu mir heraus/ vnd wehr dich mein.*

b) Quia eiusmodi provocatio non simpliciter & nudo verbo-
 rum sensu intelligenda est, quasi existimationem famamque læderet,
 præsertim si ab homine levi & nullius pretii orta sit.

c) Quia salus populi etiam privato commodo præponi debet.
I. Samuel. c. 17. v. 31. & I. I. XII. Tabular.

IX.

Finis defensionis necessariæ est tutela personarum &
 rerum, ^a & interdum quoque occisio aggressoris. ^b

a) Personarum vel suæ propriæ vel alienæ, salus enim & inco-
 lumitas proprii cuiusq; corporis omnibus primariò debet esse curæ.
I. 3. d. 1. & I. c. 2. de homic. Secundariò verò & suorum defensionem
 suscipere licebit, semper tamen adhibito moderamine inculpatæ tu-
 telæ.

b) Qui finis ut plurimum est præter intentionem defendentis.
 Nec enim defensionis modus præscribi potest, quandiu se defendere
 quis debeat, præsertim cum in dubio sit quando adversarius desistere
 velit, aded ut si primo ipsum momento interficere poterit, jure id fe-
 cisse sit putandus: Cum hoc & ratio doctis & mos gentibus & feris
 natura ipsa præscripserit, ut omnem semper vim quacunque ope pos-
 sint, à corpore, à capite, à vitâ suâ propulsent, *ut Cic. ait pro Milon.*

X.

Effectus defensionis est, quod defensio excuset vim
 illatam ^a & defensor qui adversarium membro mutilat
 vel interficit; nec de expensis, nec de ullo damno hæredi-
 bus teneatur; neque in poenam fractæ pacis incurrat ^b nec
 donatarius ob sui defensionem donatorem interficiens
 re donatâ priverur. ^c

a) Quia quilibet qui se & alios defendit, pro innocenti habend-
 us est;

idus est; & defensor propriè salutis in nullo peccasse intelligitur. *l. 3. C. ad L. Cornel. de Sicar.*

b) *Arg. l. 55. nullus ff. de R. I. nec is videtur pacem publicam turbare, qui offensorem suum offendit. Wesenb. in Comment. C. lib. 3. t. 27. n. 26.*

c) Sive pœna sit legalis sine conventionalis. *Paris Conf. 164. n. 22. Conf. 165. n. 23. lib. 4. Omni enim culpâ caret: & propter eâ nullam pœnam meretur. Abb. in c. 2. n. 2. de homic. Dn. Obrecht. d. t. c. II. Constit. Carol. in P. S. G. 142. & 150.*

XI.

Repugnant defensionì privata ultio^a & excessus in se defendendo^b nec servatum moderamen inculpatæ tutelæ: transgredientes tamen non pœnâ ordinariâ sed mitius puniendi videntur^c.

a) Privata ultio omninò legibus prohibetur: *l. 14. C. de Iud. l. 45. §. 4. ad L. Aquil.* At defensio quæ intra legitimos terminos consistit, non est ultio, sed propulsatio, quâ quis vim atque injuriam à se depellit.

b) Excessus hic fit quatuor modis. 1. Si quis alteri minanti sine causâ necessaria sese opponit: Se enim ei opponit, cui se opponere non opus fuit; quia adversarius nondum factò ipso læsit. 2. Si vis sine armis illata armis propulsatur. 3. Si quis cæde alterius vel vulnere graviori, vim repellit; quam sine cæde vel vulnere leviori propulsare potuisset: ut si quis alapâ te petierit, tu verò contra gladio occidas. Quanquam hîc cum impossibile sit, ut semper æquâ lance fiat offensio & defensio, judici bono & æquo res committenda sit, qui ex factò ipso judicet. 4. Si quis offensione cessante alteri adhuc per vim instat, quia cessante vi non debet quis fugientem insequi & occidere; hoc enim magis ex vindictâ & privatâ ultione quàm verâ defensione factû videri posset ac deberet, plura de his habet *Dn. Obrecht. d. t. c. 13.*

c) Quia licet moderamen inculpatæ tutelæ non observarint: magis tamen ira & animi perturbatione id fecisse existimandi sunt: itaq; etî transgressi fuerint limites, mitius tamen erunt puniendi, (quatenus sc. non ex dolo id fecerunt,) & ratio irritati animi habenda. *l. qui cum major. 14. §. si libertus ff. de bon. libert.*

Coram

XII.

Coram Judice autem probare defensionem necessariam debet ipse reus, a testibus b præsumptionibus c conjecturis d quod si præstare non poterit, revera reus & condemnandus erit e.

a) l. i. c. ad l. Corn. de Sicar. l. 5. C. de Jurejur. P. H. B. Carol. V. artic. t. 42. in pr. ibi die nohtwehr ist auff die erste tödtliche anfechtung oder benötigung gegründet.

b) Etiam domesticis. Gail. lib. 1. de PP. c. 16. n. 22.

c) Quæ locum tum potissimum habent, si dubitatur, quis primò alterum aggressus fuerit.

d) Quæ sunt armorum, personæ, loci, & temporis: quæ omnia a Judici committimus, secundum acta & probata judicaturò.

e) Qui hujusmodi probationibus destitutus justam causam habere non videbitur, dignus pœnâ habebitur, vide etiam de his Fachin. i. Centr. 27. Plura apponere instituti hujus ratio non permittit: Itaque pauca hæc è multis de materia hac excepta sufficiant. Unum restat, ut receptuicantes Deo laudes dicamus.

Moniti meliora sequemur.

P A R E R G A.

Coronidis loco placet & sequentes quæstiones huic disputationi annectere: An fugientes ob delicta ad Asyla inde extrahi possint? priusquam autem certi quid definiamus, sciendam, Asyla ejus potissimum gratia esse instituta, ut involuntarij homicide tutum habeant receptum contra vindicem sanguinis propinqui occisi (quemadmodum vindex ille impune ulcisci potuit cognati cadem si in homicidam incideret) & ne terrâ innocenti sanguine hoc pacto pollueretur, ut Zepperus ait lib. 1. de Legib. Mos. c. 7. attamen providendum est, ne confluant eò homines qui ex πρῶτος delinquunt, quosq; puniri Deus jubet & Reip. interest, non obstante hîc Jure Canonico

re Canonico quod diversum ab Jure divino & civili est, c. eos
qui ad Eccles. dist. 87. Sed Imperator noster Justinianus huic
contrarias leges sanxit Nov. 117. c. ult. Non debent hujusmodi
persona in venarabili loco munimen habere, quem ipsi per sce-
lus proprium despexerunt, & Nov. 17. c. 7. Templorum cau-
tela non nocentibus sed lesis datur. Quae constitutiones cum
Legibus divinis admodum sint congruae, quibus Deus fontes
ab altari suo avelli voluit, ut moriantur. Exod. 21. v. 14. ut
accidit Joabo 1. Reg. 2. v. 29. & Adonia qui templo extractus
fuit 1. Reg. 1. v. 50. ideò merito observanda erunt, Vide etiam
Zepperum cit. loc. & Schönbor. lib. 1. polit. c. 14.

I I.


An tortura pugnet cum principiis theologicis & politi-
cis? Sanè Deus optimus omnium Legislator suo populo nul-
lam de torturis legem dedit, & in Sac. Script. ne gry quidem
extat teste VVilh. Zopp. in lib 5. de Leg. Mos. c. 10. praeterea
ethnicum hor. tormentorum & tyrannicum videtur esse in-
ventum: expers omnis charitatis & commiserationis, quod
Augustinus non tantum improbat sed etiam deplorat lib. 19.
de Civit. Dei c. 6. Et ipsa experientia docet, multos nimis
cruciatibus victos ea fassos esse, quae nunquam fecerunt: adeò
ut saepe nihil certi sciri possit, ut Michael Montanus 2. des
essais c. 5. ait. C'est vne dangereuse invention, que celle des
gehennes, & semble que ce soit plus tost vn essai de patience
que de verite. Et celuy qui les peut souffrir, cache la verite,
& celuy, qui ne les peut souffrir. Inde fort assis Angli his ratio-
nibus moti, nullam hodiè torturam adhibent. Attamen no-
stris in regionibus rectè eas adhiberi statuimus cum Dn. Be-
soldo lib. 2. polit. c. 2. n. 28. v. 3. citante Kekermannum
disput. pract. 32. quest. 4.


F I N I S.

Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020

VDMA





B.I.G.

Farbkarte #13

TATIO JURIDICA

DE
ENSIONE

CESSARIA,

QUAM
CHRISTO DUCE

PRÆSIDE

mplissimo ac Consultissimo,

GIO DAVIDE LOCA-

INQUE CELEBRI ARGEN-

ademiâ P. P. Facultatis Juridicæ

reçtabili, Præceptore & Fautore

aternum colendo:

e disquisitioni submittit

Auditorio ICtorum.

S LEONHARDUS WELSERUS

ugustâ-Vindelicus.

Mense Majo.



GENTORATI,

OLLANDI FINDLERI,

M. DC. XXIII.

427.

1623, 7